

habere potest, *ens potentiale*, seu *ens in potentia* appellamus. Ita arbor in semine delitescens, quatenus perentia alia existentia, nempe solum fertile, pluviam, rotrem, calorem Solis ad actum deduci potest, est *ens potentiale*. Si *ens potentiale* rationem sufficientem existentiæ suæ habet in entibus actualibus dicitur *ens in potentia proxima*: si autem entia illa nondum existunt, seu non sunt *actualia*, dicitur *ens in potentia remota*.

VII. Hic queri potest an ideo *ens* sit possibile, quia Deus voluit illud esse possibile. Cartesiani contendunt possibilitem rerum ita a Deo pendere, ut nihil sit possibile, nisi quidquid voluit Deus esse possibile, ac proinde nihil tam impossibile ex cogitari posse a nobis, quod non evadat possibile, si Deus voluerit; sicque evadet possibile, ut totum non sit majus sua parte. Porro duplex distinguitur rerum possibilias, *extrinseca* scilicet seu *respectiva*, & *intrinseca*, seu *absoluta*, aut *primaria*. Intrinseca possibilitas est illa, qua *ens* in se consideratum nullam contradictionem involvit; extrinseca autem possibilitas est illa, qua *ens* consideratur sub eo respectu, quo existentiam ab aliqua causa accipere potest. Porro ut aliquid, quod est intrinsece possibile existentiam accipiat, illud pendet a voluntate divina; contra vero, ut illud in se contradictionem non involvat nullo modo a Dei voluntate pendet. Unde sit:

CON-